



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Referuntur verba illius constitutionis; quæ manifestè ostendunt illam à Bonifacio conditam fuisse adversùs Philippum Pulcrum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

jubet vel consensu, usu vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus.

IV. Hic locus evincit constitutionem illam editam à Bonifacio fuisse, ut Philippum consiliis & potestati suæ resistentem opprimeret ista auctoritate. Nam in constitutione illa sic prorsus legitur: *Verum cum aliqui hujusmodi officium & potestatem ipsius Romani Pontificis, quam non ab homine sed à Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, Legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, subjectas sibi terras, dicentes hoc eis de consuetudine competere, ingredi non permittunt, nos hujusmodi consuetudinem non tam irrationabilem quam iniquam, animarum saluti contrariam, detrahentemque apostolicæ potestati, auctoritate apostolica penitus reprobantes, Legatos ipsos ab omnibus, cujuscumque præminentie, conditionis, aut status fuerint, debere admitti decernimus, nec eos prætextu cujusvis consuetudinis impediri posse à quoquam Christiano nomine gloriantes quò minus regna, provincias, & terras quaslibet, ad quæ ipsos destinari contigerit, ingrediantur liberè, ac commissæ sibi legationis officium exerceant in eisdem. Excommunicat autem eos qui præsumerent impedire Legatos, eorumque regna & terras ecclesiastico supponit interdicto quandiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum. Revocat autem omnia privilegia quibus iidem uti vellent ad asserendum hoc suum jus, seu ex consuetudine descenderet, seu aliunde. Hæc verò à Pontifice iracundo scripta esse adversus. Philippum Francorum Regem satis, ut reor, manifestum est.*

V. Primum exemplum in ista causa datum apud Anglos fuit ævo Urbani secundi. Missus tum in Angliam Vvalterus Episcopus Albanensis, Vvilelmum Regem adiit, cuncta facturus per quæ Regis animum sibi conciliare posset, etiam cum periculo propriae famæ. Cum eo itaque, ut narrat Hugo Abbas Flaviniacensis, conventionem fecit ne Legatus Romanus ad Angliam mitteretur nisi quem Rex præciperet. Verba sunt manifesta, neque ullis ambagibus involuta. Et haud dubie illud à Legato exegerat Vvilelmus ne antiqua consuetudo violaretur, qua receptum erat ne quis alius in Anglia Legatus apostolicæ sedis esset præter Archiepiscopum Cantuariensem. Extremis deinde Paschalis secundi temporibus, cum Anselmus Abbas à Romano Pontifice accepisset legationem Angliæ, trajiceretque propterea velle à Normannia in Angliam, Rex Henricus, inquit Eadmerus, antiquis Ecclesiæ consuetudinibus præjudicium inferri non sustinens, illam ab ingressu Angliæ detinebat, & ei, utpote

Nuntio beati Petri, largiter & officiosè ministrari faciebat. Narrat deinde Eadmerus illum nec Angliam intrare nec aliquo Legati officio fungi dignum habitum esse, sicque inglorium abiisse.

VI. Idem jus regium acriter retinuit Henricus istius nominis primus Anglorum Rex, qui Vvilelmo fratri proximè successit. Cum enim anno M C X I X. idem Rex & Callistus II. convenissent apud Gisorcium in Normannia, concessit Regi Pontifex ut antiquæ regni ejus consuetudines manerent, ac nominatim ne quis Legatus in Angliam mitteretur nisi quem Princeps peteret, nimirum si quæpiam causa major incideret quæ ab Episcopis Anglicanis pro sui magnitudine terminari non posset, adeoque opus esset majori auctoritate. Hæc sunt verba ejusdem Eadmeri in libro quinto Historiæ Novorum: *Itaque post hæc Calixtus Gisorcium venit, & Rex Henricus illic ei locuturus accessit. Acta igitur sunt multa inter eos quorum gratia par erat tantas personas convenisse. Inter quæ Rex à Papa impetravit ut omnes consuetudines quas pater suus in Anglia habuerat & in Normannia, sibi concederet, & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, & quæ ab Archiepiscopo Cantuariorum ceterisque Episcopis regni terminari non posset, hoc fieri à Papa postularer.*

VII. Adeo autem diligenter & studiosè prærogativam illam servavit idem Henricus, ut cum aliquot post annis Papa Callistus sponte Legatum in Angliam misisset Petrum Leonis monachum Cluniacensem, tametsi eum magnificè receperit Henricus pro reverentia sedis apostolicæ, Legati tamen officium exequi prohibuerit, obtendens *patrias consuetudines ab apostolica sede concessas, in quibus hæc & de maximis una erat, quæ regnum Angliæ liberum ab omni Legati ditione constituerat.* Itaque Legatus ille regno egredi coactus est, cum nullam prorsus muneris sui functionem attigisset. Rem narrat idem Eadmerus inquit inter alia Regem pronuntiasse legationis illius stabilem auctoritatem non nisi per conniventiam Episcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius regni conventum roborari posse.

VIII. Sed adnotanda est hoc loco prudentia Henrici: qui, ne Legatus auctoritatem suam explicaret in Anglia, prohibuit ne ad Ecclesias aut monasteria regni accederet, donec ad ipsum pervenisset, néve aliunde victus ei suppeditaretur quam ex fisco. Quod factum specie honoris, magni tamen momenti erat. Sic quippe providebatur ne vel minima Legati potestate uteretur. Sumptus

Vide infra lib. 6. cap. 31. §. 1.

Vide Simonem Dunelm pag. 244 & Ioan. Bromton pag. 1008.

Vide supra cap. 51. §. 6.

Eadmer. lib. 6. pag. 238.

Eadmer. lib. 2. pag. 24.

Hugo Flaviniac. pag. 141.

Eadmerus pag. 238. lib. 6.